

Zeitschrift:	Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber:	Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band:	- (1750)
Heft:	19
Artikel:	Concilium tridentinum non institutum esse ad inquirendam illustrandamque ex scripturis veritatem [...]
Autor:	Bullinger, Heinrich
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-394675

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 21.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

CONCILIO TRIDENTINUM

non institutum esse ad inquirendam illustrandamque ex Scripturis Veritatem; Sed ad subvertendam, stabiendosque
Rom. Ecclesiæ Errores

[a] DEMONSTRATIO

HENRICI BULLINGERI

Die Caroli M. D. LI.

ESAIAS:

*Accingite vos & vincimini: Init Consilium, & dissipabitur: Loquimini verbum, & non fiet:
Quoniam nobiscum DEUS.*

Nullus est hodie Sermo in ore omnium creibior quam de CONCILIO TRIDENTI celebrando, neque sunt aciores rixæ quam de hoc ipso Concilio: dum hic ex eo nescio quid Salutis & absolutam quandam Reformati-

[a] Quandoquidem Emin. Cardinal. QUIRINUS ex aliquo tempore singulari studio fervet, ut sibi aliisque persuadeat, Paulum III. Pontif. Rom. adscitis in consilium amplissimis & doctissimis Viris, serio ac diligenter id egisse, ut Ecclesia in Doctrina & Disciplina misere depravata pristinum suum nitorem reciperet, atque hoc no-

formationem exspectat ; ille vero ex eodem nihil
oriturum contendit , quam bella & innoxiorum
hominum cædes . Ac nisi mente capti simus ,
propriæque Salutis negligentissimi , cogitabimus
& diligenter quidem cogitabimus singuli , quid ex
eo nobis polliceamur , ut hoc vel amplecti vel
respuere constantissime pergamus . Proinde rem
non ingratam me Vobis , Viri Patres & Fratres
venerandi , Filiique dilectissimi , facturum confi-
do , si breviter & perspicue demonstrem , quid
vere de hoc judicare debeamus , nempe , TRI-
DENTINUM illud CONCILIUM non institutum esse
ad inquirendam illustrandamque ex Scripturis sanctis Ve-
ritatem , aut ad reformandam legitime Ecclesiam Christi ;
sed ad subvertendam hanc , ad stabiliendos , inquam ,
Romanæ Ecclesiæ Errores impietatesque , ac bene cœptos
per Germaniam aliaque Europæ loca Reformationes &
impediendas & abolendas .

Ad quam rem ostendendam & confirmandam
nihil mihi opus erit peregrinis aut longe petitis du-
biisve Testimoniis : Ex ore illorum qui indixere
Concilium , hoc est ex BULLA Indictionis & ex
DECRETIS Concilii hoc nullo evincam negocio .
Ne quis autem ignoret , qualis sit INDICATIONIS
BULLA , recitabo hanc Vobis de verbo ad ver-
bum ,

mine pientissimos Majores nostros injustæ Secessionis pa-
lam accusat : Ne silentium nostrum in Veritatis , quam
Ecclesia Turicensis constanter profitetur , fraudem inter-
pretari quis possit , visum est ipsi hanc Sancti BULLIN-
GERI Demonstrationem opponere , ut cognoscat nobis
jam dudum Rom. Ecclesiæ artes (Eph. IV: 14.) patuis-
se . J. J. B.

bum, nam brevis est, totaque Bullæ PAULI pri-
mæ ceu fundamento imposita.

„ [b] JULIUS Episcopus, Servus Servorum
 „ Dei, ad futuram rei memoriam. Cum ad tol-
 „ lenda Religionis nostræ disidia, quæ in Ger-
 „ mania longo tempore, non sine totius Christia-
 „ ni orbis perturbatione & scandalo, viguerunt,
 „ bonum, opportunum & expediens esse videa-
 „ tur, sicuti & charissimus in Christo Filius no-
 „ ster CAROLUS Rom. Imperator semper Au-
 „ gustus, nobis per suas Literas & nuncios signi-
 „ ficari fecit, ut sacrum, œcumenicum, gene-
 „ rale Concilium per fœlicis recordationis PAU-
 „ LUM PAPAM III. Prædecessorem nostrum in-
 „ dictum, & per nos tunc Cardinalatus honore
 „ fungentes, atque ipsius Prædecessoris nomine
 „ una cum duobus aliis S. Rom. Ecclesiæ Cardi-
 „ nalibus ipsi Concilio præsidentes, inceptum,
 „ ordinatum atque continuatum, in quo plures
 „ publicæ & solennes habitæ fuerunt Sessiones,
 „ pluraque tam in causa Fidei quam Reformatio-
 „ nis morum promulgata Decreta, multaque &
 „ ad utramque causam pertinentia examinata &
 „ discussa, ad Civitatem Tridentinam reducatur:
 „ Nos, ad quos summos pro tempore Pontifi-
 „ ces spectat generare Concilia, indicere & diri-
 „ gere, ut Ecclesiæ pacem, & Christianæ Fidei
 „ orthodoxæ Religionis incrementum, ad omni-
 „ potentis Dei laudem & gloriam procuremus,
 „ & quantum in nobis est, tranquillitatem ipsius
 „ Ger-

[b] *Indictio continuationis Concilii Tridenti celebrandi.*

„ Germaniae , [quæ sane Provincia retroactis
 „ temporibus in vera Religione , ac sanctorum
 „ Conciliorum , Patrumque Doctrina excolenda ,
 „ exhibendaque maxime Pontificibus , Christi Re-
 „ demtoris nostri in terra Vicariis , debita Obe-
 „ dientia & Reverentia , nulli Christianorum Pro-
 „ vincia secunda ,] paterne consulamus : Spera-
 „ mus per ipsius Dei gratiam & benignitatem fu-
 „ turum , ut Reges omnes & Principes Christiani
 „ justis piisque nostris in hac re votis annuant ,
 „ faveant atque assistant . Venerabiles Fratres no-
 „ stros Patriarchas , Archiepiscopos , Episcopos ;
 „ & dilectos Filios Abbates , omnesque alios &
 „ singulos , qui de jure , vel consuetudine , vel
 „ privilegio Conciliis generalibus interesse debent ,
 „ quosque idem Prædecessor noster in suis Indi-
 „ ctionis & aliis quibuscumque desuper confectis
 „ & publicatis Literis Concilio interesse voluit ,
 „ per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu
 „ Christi hortamur , requirimus & monemus , ut
 „ proximis futuris Kalendis Maji , quem diem ad
 „ ipsum Concilium , in eo in quo nunc reperi-
 „ tur statu , reassumendum & prosequendum ,
 „ brevi ac matura Deliberatione , ex certa nostra
 „ Scientia & de Apostolicæ Auctoritatis plenitudi-
 „ ne , ac Venerabilium Fratrum nostrorum S.
 „ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & as-
 „ sensu , statuimus , decrevimus & declaramus ,
 „ in ipsa Civitate Tridenti [legitimo cessante im-
 „ pedimento] convenire & se congregare , ac ip-
 „ sius Concilii continuationi , omni mora post-
 „ posita , incumbere velint . Nos enim operam
 „ sedulo daturi sumus , ut eodem tempore , in
 „ eadem Civitate , nostri omnino adsint Legati ,
 „ per

„ per quos [si per ætatem nostram valetudinem.
 „ que & Sedis Apostolicæ necessitates, personali-
 „ ter adesse nequiverimus] Spiritu S. Duce, ipsi
 „ Concilio præsidebunt, quacunque ipsius Con-
 „ cilii translatione & suspensione, cæterisque
 „ contrariis, non obstantibus quibuscumque, ac
 „ præsertim illis, quæ idem Prædecessor noster
 „ in suis Literis prædictis, quas cum omnibus &
 „ singulis in eis contentis Clausulis & Decretis,
 „ in suo robore permanere volumus atque decre-
 „ vimus, & quatenus opus sit innovamus, vo-
 „ luit non obstat. Irritum nihilominus decer-
 „ nentes & inane, si secus super iis a quoquam
 „ quavis auctoritate scienter vel ignoranter conti-
 „ gerit attentari. Nulli ergo omnino hominum
 „ liceat hanc paginam nostrorum, Hortationis,
 „ Requisitionis, Monitionis, Statuti, Declarati-
 „ onis, Voluntatis, Innovationis, Decretorum
 „ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si
 „ quis hoc attentare præsumserit, indignationem
 „ omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli
 „ Apostolorum se noverit incursum. Datæ Ro-
 „ mæ apud S. Petrum: Anno Incarnationis Do-
 „ minicæ MDL. XVIII. Cal. Decembr. Pon-
 „ tificatus nostri anno I. „ Hactenus Bullam In-
 „ dictionis Concilii recitavi.

[c] Nihil vero est quod nos metuamus indig-
 nationem omnipotentis Dei incursum, si iniqvä
 pergamus contradicere Constitutioni. Bruta sunt
 ista, umbratilis & stertentis Romani Dei fulmina:
 qui

[c] Non metuenda mina Rom. Pontificis.

qui veri, omnipotentis & æterni Dei indignationem, alioqui horrendam, non satis gravem arbitratur, nisi etiam Apostolorum, velut Coadjutorum, conjungat. Ignorat hic Pontifex ut æternam & ineffabilem Dei potentiam, ita Doctrinam Religionis nostræ veram, a Sanctis Christi Apostolis Petro & Paulo orbi annunciatam, in vindicta exercenda creaturas Creatori nonnisi cum Sacrilegio conjungi. Et nos quidem sumus Abrahæ, ergo & promissionis Dei filii. Promissionis verbum est: *Benedicam eis, qui tibi benedicent, male dicentibus vero tibi maledicam ego.* Denique: *In Semine tuo benedicentur omnes Gentes terræ.* Hanc promissionem cum vera fide amplectamur secundum Evangelium Jesu Christi a Petro & Paulo prædicatum, certe benedicti, & ab omni maledictione liberati sumus: Joanne quoque Baptista attestante atque dicente: *Pater diligit Filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Quinimmo de maledictionibus benedictionibusque talium Pontificum loquens apud Malachiam Dominus: *Si volueritis audire, inquit, & si volueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos execrationem & maledicam benedictionibus vestris.* Quid quod Rex unicus & Pontifex versus summus Christus Dominus noster confitentibus nomen Messiæ benedicit, abnegantibus maledicit? Nam & in Prophetis pronunciavit Dominus: *Maledictus qui fecerit opus Domini negligenter.* Proinde hoc velut antidoto præmuniti, alacres & securi jam pergimus & dicere & audire, quæ pertinent ad gloriam veri Pontificis Christi Domini no-

stri, & derogationem Pseudo-Pontificis & æmuli Christi Papæ atque Concilij ejus Tridentini, quod instituit Christum rursus ex Germania ejicere, ac seipsum rursus in templum Dei collocare ac pro Deo ostentare.

[d] Principio enim *Causas* indicti Concilii commemorans manifeste prodit quid quærat & effectum cupiat. Queritur dissidium exortum esse in Germania in Religionis negocio, quod mox ad omnes alias Nationes totius Orbis Christiani turbandas dimanaverit. Addit, Germaniam a retroactis temporibus alias Nationes superavisse primum quidem in excolenda Doctrina sacrorum Conciliorum & sanctorum Patrum, deinde vero in exhibenda debita obedientia & reverentia Pontificibus, Christi Redemptoris in terra Vicariis. Quivis autem ex his juste & vere, non sycophantice aut calumniose collegerit, Pontificem non indixisse Concilium, ut ex Scripturis inquiratur Veritas & Christo Servatori nostro sua debita impendatur Reverentia, Obedientia & Gloria; sed ut Germania redeat ad pedum oscula, id est, canis ad vomitum & Sus lota ad volutabrum cœni. Nam prædicat Julius Concordiam Germaniæ veterem, quæ nunquam inducto dissidio discerpta sit. Observeate quæso hominis verba, ut recte judicetis & quid ab eo instituatur intelligatis. Qualem obsecro prædicat Concordiam & Religionem Germaniæ? Eam, qua omnes Germani homines simplices & agrestes, Bestiæ ab illis sanctis Patribus appellati,

[d] Quare institutum sit Concilium Tridentinum?

pellati, crediderunt regulas S. Patrum & Decreta Conciliorum, vera & ipfissima esse Fidei Christianaæ fundamenta, & Pontificem Romanum in terris Christi in cœlo agentis esse Vicarium cum plenitudine potestatis, cui obedire & voces ejus tanquam Christi & Petri ore pronunciatas excipere, omnino sit de necessitate Salutis. Hanc vero Concordiam sanctam disruptam esse queritur, hanc quoque restauratam & redintegratam ardentissimis votis exoptat.

[e] Præstat autem hic obiter audire in quam formam Doctrinæ inducti sint Germani, per quam persuasi Sedem illam & beatum Patrem in ea sedentem deseruerunt. Misit impura Roma ante annos 33. impudentissimos & insatiabiles in Germaniam Legatos, qui populo plenariam omnium peccatorum remissionem annuociarent, immo di venderent, etiam eorum scelerum, quæ pietas propter execrandam fœditatem & extremam impietatem vel nominare vetat. Id cum audissent Viri pii & docti in Germania, per Saxoniam & Helvetiam, cernerentque stolidum vulgus Salute vera, sed & opibus suis, spoliari crudeliter per spirituales illos prædones & latrones, adeoque pro pecunia nihil non venale esse, sicut quondam S. Petrus Simonis Mago, ita hi Sectatoribus ejus objec runt, dicentes: *Pecunia vestra vobiscum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimastis pecuniis parari! Non est vobis pars neque fors in ratione hac: Cor enim vestrum non est rectum coram Domino.* Nec dubium est

Cc 2

quim

[e] Quomodo & quid docta sit Germania.

quin Germani Doctores excitati a Deo tantæ impudentiæ se opposuerint, cujus gratia, & dogmata impia multa alia Romanæ Ecclesiæ oppugnare, & ex vetustissimo illo, non novo prolatu Evangelio, palam demonstrare perrexerunt: Omnen veritatem credendam & omnem pietatem sacris comprehendendi & tradi Scripturis: Patribus ergo & Conciliis non esse credendum, nisi quatenus cum Scriptura congruunt. Ex hac Scriptura docuerunt: Deum Patrem orbi dedisse Filium unigenitum, & in hoc uno Salutis omnia: Hunc enim esse Caput Ecclesiæ unicum, Pastorem & Pontificem summum, Intercessorem, Sacrificium, Expiationem, denique omnia vitæ & Salutis solum, adeo ut qui hunc vera fide possideat, omnia vitæ plenissime teneat. Vivere autem Christum Spiritu suo manereque in Ecclesia, unde nihil ei ullis opus sit Vicariis. Vicarium enim absentis gerere vices. At Jesum Christum in Ecclesia sua præsentem esse, non absentem. Hunc operari Salutem fidelium in ministerio verbi & Sacramentorum. Eundem enim instituisse Ministros in Ecclesia, qui prædicent Evangelium & Sacra menta administrent. Porro illum Antichristum esse, quicunque ea quæ solius Christi sunt sibi vendicat, & instituta Christi immutat. Quod cum Pontifex Rom. se cum suis facere, scriptis, dictis & factis palam attestetur, ut maxime execrabilem Christi hostem omnibus piis esse fugendum. Agnoscitis opinor omnes in his articulos, quos piæ memoriæ fidelis hujus Ecclesiæ Pastor H. ZWINGLIUS & disputandos proposuit, & contra omnes adversarios defendit & asseruit. Ac hoc ipso die Caroli absolvitur annus XXVIII. quo
postridie

postridie prima Synodus contra Papam, pro reparanda Gloria Christi in hac urbe celebrari cœpit, deinde etiam Doctrina pietatis spargi latius.

[f] Hanc Doctrinam audierunt Germani, audierunt Angli, Galli, Itali, Dani, Pannones & Aquilonares populi, immo audita est hæc prædicatione veræ pietatis per totum quasi terrarum orbem, ac bona pars auditorum expendit diligenter, cum ipsam prædicationem Evangelium regni Dei annunciantum, tum dicta, scripta factaque Papistarum, atque ex ipsa rerum collatione seria & vera, intellexit deserendum esse Papam, veluti Deum fictitium ac Baal verum; adhærendum autem Christo Redemptori unico, Regi & Pontifici summo: Intellexit denique oracula Verbi Dei & Dogmata hominum sibi invicem velut e diametro repugnare, ergo Veritatem amplexandam; humana figmenta abjicienda esse. Sic inquam salutare Schisma factum est in Germania & omnibus aliis orbis partibus; hominibus jam agnoscentibus Scripturam veritatis esse regulam credendorum; non Conciliorum, non Patrum Canones, Christum esse Caput & Pastorem Ecclesiæ, nec habere ullum in terris Vicarium. Separati itaque sunt ab erroribus & a Pseudo-Vicario quidem, sed conjunxerunt se veritati & Christo. [g] Jam vero Pseudo-Pontifex hanc prædam sibi ereptam dolens, prætextu Concilii Oecumenici conatur ab-

[f] Quomodo reperirent homines traditam Doctrinam.

[g] Papa regnum suum destrūctum vult reparare.

lata recuperare, hoc est, Conciliorum & Patrum Decreta rursus ceu Fidei regularm & fundamenta obtrudere Fidelibus: Capit agnosci venerarique non pro Episcopo tantum Romanæ Ecclesiæ, sed pro universali Christi in terris Vicario. Proinde luce clarius apparet non cæcitate percussis, in quem finem institutum sit TRIDENTINUM CONCILIUM. Cui ergo cordi est relicto Christo adhærere Christi Pseudo-Vicario, cui cordi est humana Decreta pro divinis recipere oraculis, CONCILIO TRIDENTINUM approbet. Certe cum hæc ita certo se habeant, omnes Filii Dei illud ex corde execrabuntur & aversabuntur.

[b] His accedit, quod JULIUS Papa omnia sua ad Indictionem primam PAULI Papæ refert, quod omnia ejus Edicta, Consulta & Decreta hac in causa ædita confirmat. Interim nullum vel verbum auditur de Scriptura Sancta, de Christo Dei Filio & ejus gloria reparanda. Constat autem PAULUM Papam in Literis & Decretis suis non semel disertis significasse verbis, CONCILIO TRIDENTINUM potissimum ad eradicandas Hæreses in Germania maxime pullulantes convocari. Quid quod nos Ministros Christi & Ecclesiarum in Helvetia, idem ille inter Hæreticos & Ecclesiarum corruptores numerat? [i] Quod si cui placet ipsa PAULI verba audire, hæc scripsit ad Helvetios: *Fuerunt vafri & infidiosi homines, perturbatores Legum, morumque bonorum, iidemque sanctæ catholicæ*

&

[b] Concilium institutum ad eradicandas Hæreses.

[i] Quinam sint Hæretici quos oporteat eradicari.

& apostolicæ Religionis corruptores, qui vos separare & divellere conati sunt: quibus tantum favit perfidus humani generis hostis, ut ex ista fortissima & nobis carissima Natione, aliquos a nobis potuerit avellere, magno cum dolore nostro, tanquam e sinu & complexu amantissimi patris dilectissimos filios. Quorum jacturam atque damnum etiam nunc lugere & lamentari non desistimus, desiderantes & Deo restitui & [k] nobis. Illud tamen Deo referimus acceptum, quod pars de Vobis in fide erga ipsum Deum & erga sanctam Matrem Ecclesiam perficit, nec se alienari a cultu veræ & christianæ Religionis passa est. Idem ad Episcopos Sedunensem & Curiensem, ac ad Abbates omnes totius Helvetiæ, quos Ecclesiæ Helveticam repræsentare contingit, scribens, objurgat, quod cum vicini sint Tridento, præventi sint tamen a Prælatis ex remotissimis partibus Tridentum venientibus. Putat autem ipsis Concilium magis quam illis esse necessarium, quod Natio ipsorum non parva sui parte infecta sit Hæresibus. Hæc PAULI Papæ sunt. Ex quibus iterum liquido apparet CONCILIUM TRIDENTINUM non institutum esse ad discutiendam Controversiam Religionis placide & legitime, ex Scripturis Sanctis; Sed ad eradicandas Christi Ecclesias & ejus Ministros, quos isti falso criminantur Hæreticos. Etenim Julius dicit, se continuaturum Concilium uti indictum est a PAULO: Dicit autem PAULUS se indixisse ad eradicandos Hæreticos & omnes Hæreses.

Cc 4

[1] Præ-

[k] Et mihi & Petro.

[l] Præterea usurpat sibi Papa in Bulla Indictionis & usurpavit hactenus plenariam potestatem & indicendi & regendi Concilium. Atqui nemo nescit Papam illum ipsum esse, qui ab omnibus sacrosancti Evangelii Prædicatoribus accusatur, ut caput omnium malorum, ut auctor & patronus primarius omnium errorum corruptionumque in Ecclesia Dei. Quis autem deferat judicium reo? Hoc itaque cum armata ad se manu rapiat, ut cunque stupidæ sint ovinæ, intelligunt tamen quid exspectent cum in luporum confessum vocantur, ut causam suam agant, immo non agant, sed ut discerpantur atrociter, & expleant luporum ingluviem. Huc pertinet quod Pontifex ait, se omnia facere ex Fratrum suorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu: Qui quali sunt in Evangelium Christi & in ejus Prædicatores animo, dudum toti terrarum orbi innotuit.

[m] Jam vero quales sunt obsecro qui convocantur in Concilium, veluti Judices causæ, assessores & Senatores hujus cœtus sancti? An Viri fideles, docti, prudentes, justi & sancti, ex omni natione & ordine Christi fidelium? Sed altissimum hic audio Silentium. Quæ hic quæsto regula judicandi datur? An Scriptura canonica? Immo Patrum potius & Conciliarum Canones, quibus isti Sacras Scripturas subjici ac ancillari compellunt. Quos ergo convocat beatissimus in sanctum hunc Senatum? Loquatur ipse. Sic ergo dixit

[l] Papa sibi usurpat imperium in Concilio.

[m] Quales convocentur in Concilium Assessores.

dixit in Bulla Indictionis: *Venerabiles Fratres nostros, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & dilectos Filios, Abbates, omnesque alios & singulos, qui de jure, vel a consuetudine, vel privilegio Conciliis generalibus interesse debent, quosque Prædecessor noster in suis Indictionibus & aliis desuper confectis & publicatis Literis Concilio interesse voluit.* Sed præstat audire Prædecessoris quoque PAULI verba: *Convocamus, inquit, omnes ex omnibus locis, tam venerabiles Fratres nostros, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos Filios Abbates, quam alios quoscunque, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi & sententias in eo dicendi permissa potestas est, mandantes in vi Jurisjurandi, quod nobis & huic S. Sedi præstiterunt, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut ipsimet adsint.* Et reliqua. Ex his intelligimus non omnes ex omnibus Nationibus pios & doctos Viros, immo ne selectos quidem ex his; sed juratos Papæ & Sedis Rom. vasallos colligi, ac his duntaxat jus dari residendi dicendique sententias in Concilio.

[n] Ac quo rectius intelligatur fraus, totumque iniquitatis mysterium detegatur, non gravabor vobis recitare Formulam Jurisjurandi, quo se obstringunt omnes Episcopi Sedi Rom. & summo Pontifici. Formula hujusmodi est: *In nomine Domini, Amen. Episcopus ab hac hora in ante fidelis ero & obediens beato Petro, sancteque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro Domino JULIO Papæ TERTIO, suisque Successoribus canonice intrantibus.*

Cc 5

Non

[n] Prælatorum Juramentum quo Papæ & Sedi obstringuntur.

Non ero in Consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt, per se, aut nuncios, aut litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum & Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolice Sedis in eundo & redeundo honifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia & auctoritatem Rom. Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, & Successorum prædicatorum conservare, defendere, augere & promovere curabo. Nec ero in consilio, in facto seu in tractatu, in quibus contra Dominum nostrum vel Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status & potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibusdam tractari cognovero vel procurari, impediām hoc pro posse, & quantocyus potero commode significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam possit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, Sententias, Dispositiones, Reservationes, Provisiones & Mandata Apostolica, totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, Schismaticos & rebelles Domino nostro vel Successoribus prædictis pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam. Et reliqua. Hæc autem Formula est Juramenti residentium in Concilio & habentium vota: neque remittitur hæc eis in celebratione Concilii, sed intenditur magis. Ergo quid a Conjuratis his aliud expectamus, quam Veritatis oppressionem & tyrannidis impietatisque Pontificiæ assertionem & reparationem? Qui audita hac Juramenti Formula aliud sibi pollicentur,

cum ratione insaniunt. Quid enim clarius dicere poterant Episcopi, quam quod dicunt singuli: *Non ero in Concilio aut facto, in quo Rom. Pontifex aliquid perdat.* Consilium quod mihi credituri sunt nemini pandam ad eorum damnum. Papatum Rom. & Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. En! contra omnem hominem. Item: *Jura, honores, privilegia & autoritatem Rom. Ecclesiae & Dni nostri Papae conservare, defendere, augere & promovere curabo.* Item: Regulas S. Patrum Decreta, Ordinationes, Sententias & Dispositiones, Mandataque Apostolica totis viribus observabo & faciam ab aliis observari. Item: Hæreticos, Schismaticos, & rebelles Domino nostro Papæ pro posse persequar & impugnabo. Tam probe sibi cavit Papa in tempore, ne unquam dejectus e Solio suo, Christum cogatur regnarem in Rom. Ecclesia videre. Sed regnabit in Sanctis nihilominus, invitis etiam omnibus Pontificibus & Inferorum portis.

[o] Scio quid hic objiciatur a quibusdam: Episcopos quidem & Abbates fere omnes indoctos esse, sed adducere tamen secum in Concilium Viros doctos & pios, quorum Suggestionibus utantur in dicendis Sententiis: ab ipsis autem juvari posse negocium veritatis. Cæterum magistra experientia didicimus, si aliquot tales Episcopi & Episcoporum Consultores docti in Concilio represententur, eos tamen non modo non audiri, sed ejici etiam ex Concilio. Etenim certissimum & comper-

[o] Prælati indocti utuntur doctorum Suggestione in Concilio.

comptissimum est in Papistico Concilio nullam esse Sententiarum collationem, multo minus ul-
lum apparere ecclesiastici Judicii liberi vestigium.
(p) Omnia ad unius Papæ arbitrium & beneplaci-
tum referuntur, ac componuntur: Nam deligun-
tur Selecti aliquot egregie instructi & exercitati do-
lli, fraudibus ac imposturis. Hii adornant quæ
Concilii Confessui proponenda sunt. Priusquam
autem proponant, cum ipsis Concilii Præsidibus,
Legatis a latere, adeoque cum ipso Pontifice per
Internuncios celeres conferunt, deinde vero ap-
probata ab his proferunt, ut & a Prælatorum
Confessu universo recipiatur & approbetur. Quod
fieri per vocem gnathonicam PLACET, qui ne-
scit, nihil scit. Atque hic modus est discutiendi
capita controversa. Hic candor, hæc libera illa
in Concilio tractatio.

(q) Porro videtur nonnullis, Principes quos
sæculares vocant, ac Status æquiores futuros,
nec unquam permisuros ut Germani hujusmodi
præjudiciis & tanta Concilii iniquitate premantur.
Cæterum nisi oculis carerent qui hujusmodi spem
conceperunt, vidissent jamdudum, ne tantillum
quidem sperandum esse a Principibus sæcularibus.
Etenim vocem habent in Concilio consultivam,
ut ajunt, non definitivam. Concilio interesse,
loqui & consulere suo loco & tempore possunt;
at residere & Sententias ferre non possunt. Præ-
terea nemo ignorat qualia Decreta a Principibus
aliquot

(p) Qualis collatio in Concilio.

(q) Quid in Concilio Principes possint?

aliquot sæcularibus præteritis annis sanguine & scripta & ædita sint contra religionem nostram synceram. Quibus accedit, quod Principes ac Ordines Germaniæ viderunt, quibus præjudiciis anno XLVI. Tridenti hoc Concilium sit cœptum, & quid in VII. Sessionibus sit decretum, nihilo minus tamen in continuationem ejus consenserunt.

(r) In primis enim illud moneo observandum, quod de continuatione, non celebratione, Concilii frequentissima fit mentio, & quod Julius significanter in hæc verba pronunciat: *Decernimus ad futuras Maji Calendas ipsum Concilium, in eo, in quo nunc reperitur statu, reassumendum & prosequendum.* Proinde Sessiones illæ VII. anno XLVI. Tridenti habitæ his confirmantur & ratæ per omnia declarantur.

Sed ignorant fortassis aliquot vestrum quales illæ Sessiones fuerint. In eorum ergo gratiam commemorabo, quæ mire serviunt Demonstrationi nostræ. Alioqui si omnia excutere pergerem, non sufficerent aliquot dies, nedum una hæc & quasi jam elapsa hora. Omnia enim VII. illarum Sessionum Decreta pauculis modo exceptis vel morbida, vel palam sunt impia. (s) Sessione IV. Decreto I. pro Canonicis Libris obtrudunt nobis Patres isti, quos vetustas non agnovit pro Canonicis, sed pro Ecclesiasticis, & quidam veterum pro Apocryphis, præcipue vero II. Librum Machabæorum:

(r) *Concilium continuandum est.*

(s) *Libri non Canonicis pro Canonicis obtruduntur.*

rum: ac inter alia sic pronunciant: *Sacrosancta, oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitime congregata, praesidentibus in ea tribus Apostolicæ Sedis Legatis, perspiciens Veritatem & Disciplinam contineri in Libris scriptis & sine scripto Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, Orthodoxum Patrum exempla secuti, omnes Libros tam Veteris quam Novi Testamenti, nec non Traditiones ipsas tum ad Fidem tum ad Mores pertinentes, tanquam vel oretenus vel a Christo vel a Spiritu S. dictatas, & continua Successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur.*
 Et post enumerationem Librorum V. & N. Testamenti subjungitur: *Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris & Canonicis non suscepit, & Traditiones predictas sciens & prudens contemserit, anathema sit.*
 Omnes itaque intelligent quo ordine & via ipsa Synodus post jactum Fidei Confessionis fundatum sit progressura, & quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura. Quis autem hæc audiens non protinus intelligat quo tendant suo illo Concilio beati illi Patres! Unica hac Sessione sua omnes suos errores sic firmant, ut nihil habeant tam absurdum, quod non possint fuco aliquo colorare, adde & divinis roborare testimoniis: Nam ex humanis divina pro suo arbitrio jam jam secerunt. Principio enim pro Canonicis Libris obtrudunt, quos nulla vetustas concorditer agnovit pro Canonicis. Quoniam vero anathemate percutiunt omnes quotquot Libros istos

istos pro Canonicis non recipiunt, condemnant certe Meletonem Sardensem Episcopum, Origenem, Hieronymum, Ruffinum & alios multos, qui & ipsi Librum Machabæorum secundum inter Canonicos non recensuerunt. Cæterum quia ipsi Tridentini Patres aliquam ex eo Libro utilitatem sperant, inter Canonicos contra vetustissimorum judicia numerant. Sperant autem se ex eo Libro ostensuros, salubre esse orare pro mortuis ut a peccatis solventur. Sperant se probaturos divisorum in cœlis pro nobis curam & intercessionem.

(t) Præterea non verentur *Traditiones*, quas ipsi appellant *Apostolicas*, æquare sanctis Scripturis, humana inquam divinis. Diserte enim fatentur, se pari pietatis affectu & reverentia cum Scripturis recipere & venerari *Traditiones continua Successione in Ecclesia servatas*. Annon hac ratione creaturam Creatori æquant? Quid autem porro tam absurdum erit, quod isti homines probare non possint? Si enim Scripturæ testimoniis destituantur, erunt ad manus fictæ illæ traditiones. Traditio erit Missa: Traditio erit oratio pro defunctis: Traditio erit Purgatorium: Traditio erit usus Imaginum in Templis: Traditio erit quicquid voluerint. Si quis illas rejecerit, & Scripturas sibi exhiberi postulaverit, anathema dicetur ab illis. Sic autem non erit istis hominibus vincere difficile. Immo unico Decreto hoc salvo jam jam vicerunt, & modo triumphant in omnibus suis erroribus & impietatibus. Gratiam interim illis hominibus debemus

(t) *Traditiones æquantur Scripturis sanctis.*

mus maximam, qui tam significanter nobis sua sui Concilii fundamenta aperiunt. Omnes itaque intelligunt, inquiunt, quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura, nimirum non Scripturis S. duntaxat, sed Traditionibus, id est, fragmentis & mendaciis. His ergo imposita sciamus hujus Concilii Tridentini Decreta non petitia ex Scripturis. Quod autem a Patre cœlesti non est plantatum, eradicabitur.

(u) Porro in II. Decreto ejusdem Sessionis IV. & alias leges duas, non minus victoriæ & impetratae suæ servientes, ferunt: Alteram de *Libro Authentico*; alteram vero de *Interpretatione*, vel *Sensu Scripturæ*. Principio omnes Bibliorum æditiones simpliciter damnant, solam æditionem *Vulgatam Latinam* pro authentica haberi volunt. Hactenus ergo originalia ut vocant, Hebraicam & Græcam Veritatem condemnant, contra unanimum totius Ecclesiæ & omnium, qui a temporibus Apostolorum ad nostra usque sæcula fuerunt, doctorum Virorum consensum. Nemo quidem nostrum Vulgatam æditionem spernit, sed in locis dubiis & obscure redditis ad fontes recurri volumus. Ac voluerunt hoc ipsum ante nos omnes Viri docti & pii. Aliud vero visum est in fine Sæculi abortivis istis Tridentinis Patribus.

(w) Deinde Ecclesiam, id est, semetipsos constituunt Judices vel veræ vel falsæ expositionis vel Interpret-

(u) *De Libro authentico.*

(w) *De Interpretatione & Sensu Scripturæ.*

Interpretationis Scripturæ. Damnat omnes Expositiones, quæ non congruunt cum sententia, quam tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia: item quæ pugnat cum unanimi Consensu Patrum. Hæc autem est omnium certissima nota, istos homines non cogitare de ulla æqua collatione ex Scripturis cum adversa parte: vel si res veniat ad collationem, præoccupare voluisse iniquissima lege victoriæ certissimam. Nos enim nullum contra ipsos locum Scripturæ, utcunque evidens & perspicuus sit, produxerimus, quem isti nullo negocio non eluserint. Uno enim verbo dicent: Ecclesiam non sic intelligere. Rursus nullum locum contra nos tam discrepantem producent isti, quem non optime quadrare per Interpretationem Ecclesiæ convicerint. Verbum quoque Christi: *Pasce agnos meos, hunc habebit sensum; Sis Pastor, o Papa! universalis, dominus ac princeps totius orbis.* Nam Ecclesia Christi ista sic intellexit hactenus, nec hodie aliter interpretatur. Sic verbum Domini: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non aliam admittet Interpretationem, quam super Petrum & Papam ædificatam esse Ecclesiam.* Quoniam Ecclesia hactenus sic intellexit. Secundum hanc probata erit auricularis Confessio ex hoc Christi pronunciato: *Vade, ostende te Sacerdoti.* Purgatorium probatum dicent per hanc Scripturæ sententiam: *Transivimus per aquam & ignem, & eduxisti nos in refrigerium.* Breviter, non volunt isti aliud Edicto suo imperioso, quam omnem ex Ecclesia Interpretationem Scripturæ per collationem auferre, & sibi quod volunt & quod lubet arrogare ac mordicus retinere. Proinde non indicatum est hoc Concilium ad inquirendam, sed ad

obruendam Veritatem, quæ tamen invitis illis
vincet tandem.

Non pergam autem Patres & Fratres venerandi,
Filiique charissimi, commemorare reliqua ex Ses-
sione V. VI. & VII. quæ Instituto serviunt. Non
pergam commemorare impiissimam [*] Sophisti-
catio-

[*] Huc pertinent, quæ Emio. Card. QUIRINUS in
ea, quam ad Clariss. Goettingensium Professorem J. W. F. E.
VERLINUM superioribus annis exaravit Epistola, repræ-
sentavit, ubi propositis Literis Pontificiis Pauli III. de
modo Concionandi Anno MDXLII. datis, contendit Ec-
clesiam Rom. de Meritis Christi & bonorum Operum ra-
tione ac fructu recte omnino secundum S. Scripturarum
mentem, atque idem prorsus cum Ecclesiis Protestantibus
sentire, profiteri atque docere, eamque non privatam hu-
jus vel illius Antistitis fidem, sed communem Ecclesiae
doctrinam esse. At quæ supra de Tezelio & Samsone a
Summo Pontifice in Germaniam submissis, ut fœda nun-
dinatione Indulgentiarum credulorum loculos emungerent,
eosque in vanam & ridiculam remissionis peccatorum fi-
duciam erigerent, commemorata sunt, abunde docent,
quid de publica Ecclesiae Rom. circa palmarium hunc fi-
dei Articulum Doctrina statuendum sit. Et quam vana
sit illa Em. Cardinalis gloriatio in Epistola ad Summum
Pontificem Benedictum XIV. quum pag. X. ait: .. An
„ triumphum non agam, quod celeberrimum Lutheranæ
„ Sectæ magistrum confidentem habeamus, fœda Roma-
„ norum dogmatum ignorantia Lutherum, ejusque affe-
„ clas laborasse, quippe qui pro dogmatibus illis acce-
„ perint quæcunque perperam a Concionatoribus & Pa-
„ rochis tradebantur. segniter dormitantibus Episcopis,
„ quorum partes fuissent gravi malo isti mederi? In hos-
„ ce igitur cadere debuit Censura, non vero in Summos
„ Pontifices, qui muneri suo exacte satisfacientes haud
„ omiserunt veræ prædicationis normam severissime in-
„ jungere.. Atque ego scire velim qua ratione Emin.
Cardinalis Pontificiam illam Instructionem Pauli III. de

cationem qua impuri illi tenebriores luculentissimum alioqui negocium *Justificationis* per unicum Christi Redemptoris mysterium atra involvunt caligine. Satis aperte demonstravi, opinor, quod ab initio hujus Orationis me ostensurum recepi, nempe TRIDENTINUM illud CONCILIUM non institutum esse ad inquirendam & illustrandam ex Scripturis S. Veritatem, aut ad reformandam legitime Christi Ecclesiam; sed ad subvertendam hanc, ad stabiliendos, inquam, Rom. Ecclesiæ Errores impietatesque, ac bene cœptas per Germaniam aliaque Europæ loca Reformationes & impediendas & abolendas.

[x] Nec dissimulant ista Itali: Palam enim ja-
ctitant Concilio futuro confirmandas fore omnes
Rom. Ecclesiæ consuetudines, nec ullum locum
Hæreticorum disputationibus aperiendum esse.
MUTIUS enim quidam natione Italus contra no-
stram Doctrinam disputans, multa agit de celebran-
do Concilio, ac inter alia: *Affirmamus futurum,*
inquit, *ut omnes regulæ nostræ & omnes consuetudines*
hactenus observatæ iterum confirmentur in Concilio: Nam
præterquam quod regulæ & consuetudines nostræ in ra-
tione sunt fundatæ & ab ipsa ratione stabilitæ: ita ex-
poscit conservatio ecclesiasticæ Auctoritatis & pax Cori-
stianæ Reip. futuris temporibus. Si quis enim vellet no-
vas & diversas Constitutiones in Concilio facere, trahe-

D d 2

reb

modo concionandi cum præsentis Summi Pontificis Bulla
Indictionis in annum MDCCCL Jubilæum conciliare pos-
sit: Scilicet eadem opera id fiet, qua jungentur Tigribus
Agri!

[x] *Quid Itali de futuro Concilio scribant.*

ret totam Ecclesiam in magnam ruinam & confusionem.
 Et iterum idem ille : Ex his quæ supra diximus in
 hanc Sententiam deveniendum est, nullo modo necesse
 esse ullum Concilium convocare, ut in eo aliquis ex illis
 articulis, quos Hæretici vellent disputari, decidatur:
 Sunt enim judicati & decisi jam omnes. Et si denuo
 disputandi & judicandi proponerentur, hoc esset in du-
 bium revocare auctoritatem omnium sacrosanctorum Con-
 ciliarum, quotquot fuerunt in Ecclesia Dei celebrata.
 Non tamen ideo desistendum est a celebrandis Conciliis:
 Sed minime celebranda sunt, ut in eis Hæreticis liceat
 disputare; sed potius ut illi qui temere adversus nos lo-
 cuti sunt, eo se conferant & revocent atque recan-
 tent quæ dixerunt: aut absque eo quod eos audiamus
 aliter in executionem Constitutionum jam factarum, de-
 clarabimus & condemnabimus pro Hæreticis. Ad hunc
 finem Concilium cogi necesse est, ut possit fieri Unitas
 inter Christianos, ut plane confirmentur ea, quæ fuerunt
 in aliis Conciliis statuta, ut reformentur Capita & mem-
 bra, atque ut caveatur, quo in posterum Concilia pro-
 vincialia, nationalia & generalia celebrentur, quemad-
 modum Constantiense Concilium statuit, & juxta Ca-
 nones sanctorum & antiquorum Patrum. Hactenus
 Mutii Itali verba recitavimus. Nemo autem exi-
 stimet hæc allata esse literis incertis. Extat Liber
 Italica Lingua scriptus & impressus. Et ne quis
 arbitretur privati hominis verba contemnenda es-
 se, ut qui ex privato affectu scripserit Antistitibus
 Proceribusque Religionis displicentia, certum est
 JULIUM Pontificem indicti Concilii supremum
 Judicem ac moderatorem, Librum Mutii hujus,
 æditis Literis vel Brevi Apostolico [ut ajunt] præ-
 fixo, magnis laudibus in cœlum usque evexisse,
 nedum approbasse. [*] [y] Cum

[*] Idem semper esse Romanæ Ecclesiæ ingenium,
 eodemque illam regi Spiritu, ipso Eminentiss. QUIRIN'

[y] Cum autem certo jam teneamus, CONCILIUM TRIDENTINUM ad subvertendam veram Religionem stabiliendamque Superstitionem falsumque Cultum esse institutum; ex adverso autem non ignoremus, quæ præceperit nobis Deus noster, certe ut confiteamur Veritatem, illamque summis conatibus provehamus & juvemus, denique ut mendacia & falsos Cultus non modo fugiamus, sed & oppugnemus, probe jam tenuimus singuli quid agamus, & quid, indicente Papa Concilium, præcipiat & indicet universorum Deus & Dominus verax & omnipotens, nempe, ut omnes Christi fideles sibi ab hoc Concilio tanquam a pernicie execribili caveant, denique palam ei contradicant, & armis spiritualibus, sana doctrina & precibus perpetuis istud oppugnare non desinant,

Dd 3

testimonio confirmatus dabo, qui in Epistola, quam Vito Cl. J. J. Breitinger inscripsit p. VIII. diserte ait:
 „ Igitur ex tantorum Hominum solertia potius, quam ex Protestantium voto, instituenda erat deformatæ Ecclesiæ emendatio. Illorum erat, potius quam Protestantium, internoscere quid fieri, quid tentari oporteret, ut Ecclesia depositis suis Sordibus pristinam reciperet formam: Eorundem eniti, ne stupendi, quos in hoc negocio Paulus III. subiit, labores inaniter cederent: Ipsorum denique

Scire potestates herbarum, usumque medendi.

Et in eadem Epistola Idem Vir Eminentiss. silentio probat illud Romuli Amasæi ex oratione, quam in Funere Pauli III. dixit, de finibus indicti ab eodem Concilii edictum:
 „ Non erant profecto in dubium, ac in novam controversiam denuo revocanda, quæ de omni religionis jure, ac forma, deque iis, quibus religio ipsa contineretur quæstionibus jam constituta foissent.

[y] *Quid agendum Sandis?*

sinant, admonentes omnes homines, ne sibi per istud imponi patientur: non enim in illo agi de Christi & Evangelii gloria restituenda, sed de tyrannide Papæ & Superstitionibus innovandis acasserendis; Non esse Patres illius Concilii veros patres; sed publicos veritatis & veræ Religionis ex professo hostes, ideoque minime audiendos, & Concilium ipsorum ut ethnicum contemnendum & rejiciendum. Si enim hodie cogeretur Concilium Mecchæ vel Constantinopoli, nihil nobis curæ esset quid in eo decerneretur, eo quod ab hostibus nostræ Religionis celebratum esse sciremus. Ergo nullo modo audiendi sunt, clamantes aliquid nobis pro Christo audendum esse; manum Dei non esse occlusam; Spem esse si veniant Evangelii Præcones in Concilium, ut convertantur multi. Nam ex manifestis iniquissimis præjudiciis constat illos nolle veritatem audire, cujus tot Præcones in vincula conjecerint & crudeliter necarint, nolle ut disputetur legitime. Clamat enim se non errare, nec Religionem suam se ponere in dubium. Revocationem ergo a nobis simpliciter; non Expositionem Doctrinæ puræ, poscunt. S. Paulus nullo modo induci potuit, ut consentiret in Judicium Concilii Hierosolymitanus: Hierosolymas nullo modo adire voluit, etiam multa ipsi pollicente Festo Proconsule: Satis enim clare intellexerat, insidias & ipsi & Evangelico negocio strui. Experientia magistra dudum didicerat Concilium illud in pertinacia horribili obriguisse. Sancti Patres, Athanasius Alexandrinus, S. Maximus Hierosolymitanus, S. Ambrosius Mediolanensis, S. Hilarius & S. Martinus Galliarum, & alii multi Ecclesiarum Episcopi sancti & fideles, nullo modo induci

duci potuerunt, ut vel consentirent, vel venirent in Synodos quasdam, licet summa Principum auctoritate indictas, & præsentia multorum doctissimorum Virorum frequentissimas, quod plane intellexissent, indictos, non ad Veritatis patefactionem, sed oppressionem potius, tyrannidisque patrocinium. Ac Dominus quidem tunc adfuit causæ suæ, ita ut falsa illa Conciliabula nihil efficerent. Is ergo Deus cum hodie quoque vivat, & nobis optimam causam habentibus promiserit auxilium, præstat nos Sanctorum Exempla etiam hodie imitari, CONCILIUM istud TRIDENTINUM aversari, auxilium Dei expectare, constanter interim Veritatem prædicare & urgere, & orare sedulo ac dicere PATER NOSTER &c.

